



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 35. Epistola S. Leonis ad Flavianum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

rem, ut Concilium in Italia convocari procuret. Verumtamen cum Papa deinde videret, efficere se non posse, ut Concilium Ephesi non ageretur, illo mittendos designavit Julium, Episcopum Puteolanum, Renatum Presbyterum ad titulum S. Clementis, Hilarium Diaconum, & Dulcitium Notarium, quibus plures Epistolas ferendas commisit.

Sæculum V.
A. C. 449.

v. Quesn.
Not. 39. ad
Epist. 24.

§. XXXV.

Epistola S. Leonis ad Flavianum.

Inter S. Leonis Epistolas maximi ponderis illa est, quam ad Flavianum, Episcopum Constantinopolitanum, dedit; in ea solidissime explicat, quæ de Mysterio Incarnationis credenda sunt. Initio Eutychem ignorantia notat, qui in errorem lapsus esset, quod Sacrae Scripturae operam non dedisset, imo nequidem attendisset ad voces Symboli, quod omnes Fideles discerent; cum in eo dicant, se in Deum Patrem Omnipotentem, & in Jesum Christum, Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui de Spiritu S. & ex Maria Virgine natus esset, credere. Tum S. Leo subjungit: *Hi tres Articuli ad omnes ferme Hæreticorum Machinas subvertendas sufficiunt; dum enim credimus, Deum Omnipotentem, & æternum, esse Patrem, Ejus Filium eidem Coæternum, Consubstantialem, & perfecte similem, esse*

Ep. 23. at. 10

Histor. 1. 1.

Rom. 1. 3.

c. 2.

Col. 2. 8.

1. Cor. 12. 13.

H h 2 demon-

Sæculum V. demonstramus. Idem æterni Patris

A. C. 449. ternus Filius de Spiritu Sancto, & ex

_____ Maria Virgine natus est. Hæc Generatio in tempore Generationi æternæ nihil ademit, nihil addidit, sed tota reparando Homini, atque Morti, & Dæmoni superandis, impensa est; quandoquidem nos peccati, mortisque Auctorem vincere non potuissemus, nisi ille assumpsisset nostram Naturam, & suam fecisset, qui nec peccato infici, nec morte retineri poterat. Ergo de Spiritu S. conceptus est in Sinu Virginis, Matris suæ, quæ eum ita genuit, sicut absque Virginitatis detrimento conceperat. S. Leo deinde Argumta ex Sacra Scriptura expromit, & probat, Verbum veram Carnem assumpsisse,

Matth. I. I. quia in Evangelio Filius David, & Abraham vocatur. Probat ex S. Paulo, di-

Rom. I. 3. cente: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Ex iis, quæ Deus Abrahamæ promisit: *in te benedicentur uni-*

Galat. 3. 8. *verse cognationes terræ;* quod a S. Paulo explicatur, & ad Christum transfer-

Isai. 7. 14. 9. 6 tur. Ex Vaticiniis Isaiæ, de Emmanuel, Virginis Filio, & Puer, qui nobis natus est. Unde tandem infert, Jesum Christum non tantum assumpsisse figuram Hominis, sed verum Corpus, ex Matre sua extractum. Operationem Spiritus Sancti non obstitisse, quo minus Caro Filii ejusdem Naturæ esset cum Carne Ma-

tris

tris, sed id solum effecisse, ut Virgini ^{Sæculum V.}
Fœcunditas tribueretur. ^{A. C. 449.}

Itaque, ut S. Leo prolixius docet, u-
traque Natura, integra perseverans, uni
Personæ unita est, ut idem Mediator fieri
& mori posset, qui aliunde Immortalis,
& impassibilis perdurat. Omnia, in se
habet, quæ in nobis sunt, omnia, quæ,
cum nos crearet, dedit, & quæ reparanda
suscepit; sola mala non habet, quæ Dece-
ptor in Genus Humanum invexit. For-
mam Servi sine peccati macula accepit.
Una Natura ex consortio alterius non
mutatur; Idem qui verus Deus, etiam
verus Homo est; in hac conjunctione nul-
la deceptio. Deus, ineffabilem Gratiam
Naturæ Humanæ exhibens, non minui-
tur, Homo Dignitate, quam accipit, non
consumitur. Verbum, & Caro proprias
sibi operationes servant. Scriptura ve-
ritatem duarum Naturarum æqualiter
demonstrat.

Deus est, quia legimus; In Principio
erat Verbum & Verbum erat apud Deum.
Homo est, quia dicitur: Verbum Caro
factum est, & habitavit in nobis. Deus
est; omnia per ipsum facta sunt, & sine
ipso factum est nihil. Homo est, ex Mu-
liere natus, & Legi subiectus. Nativi-
tas Carnis Naturam humanam testatur,
partus Virginis Divinam indicat Poten-
tiam. Infans in cunis vagit, idem ab

H h 3 Angelis

c. 3.

c. 4.

Gal. 4. 4.

Sæculum V. Angelis laudatur Altissimus. Herodes
 A. C. 449. vult puerum occidere, Magi veniunt ex
 Oriente eundem adorare. Ipse Baptis-
 S. Leonis. E. S. Joannis baptizatur, simul vox Patris
 pistola ad de Cælo allapsa, eundem Filium suum Di-
 Flavianum, lectum esse declarat. Homo tentatur a
 Dæmone, Deo Angeli ministrant. Fa-
 mes, sitis, lassitudo, somnus, hominem evi-
 denter probant, at vero quinque millia
 hominum quinque panibus saturare, Mu-
 lieri Samaritanæ aquam vivam dare, su-
 per mare ambulare, fluctus voce compesce-
 re, certissime Dei sunt. Unius Natura
 non est, amicum mortuum plorare, & eun-
 dem ab inferis resuscitare, Cruci affixum
 esse, & Diem in Noctem vertere, Ele-
 menta omnia concutere, & Latroni por-
 tas Cæli aperire. Deus dicit: Pater, &
 ego unum sumus. Homo: Pater major
 me est; Etsi enim in Jesu Christo unica
 Dei, & Hominis Persona sit, nihilominus
 aliud est subjectum, Passionis utrique com-
 munitis, & aliud communis gloriæ.

Hæc Personæ unitas causa est, cur di-
 camus, Filium Hominis de Cælo descen-
 disse, & Filium Dei Carnem sumpsisse ex
 Virgine; Filium Dei crucifixum fuisse,
 & sepultum, quod in Symbolo recitamus,
 quamvis in humana tantum Natura cru-
 cifixus fuerit. Apostolus dicit: Si Do-
 minum Gloriæ cognovissent, nequaquam
 crucifixissent eum. *Jesus Christus in-
 terro-*

t. 5.

2. Cor. II. 8.

terrogat Apostolos suos: Vos autem, quem me esse dicitis, qui Filius hominis sum, & quem videtis, in vera Carne ambulare? S. Petrus respondit: Tu es Christus, Filius Dei vivi, agnoscens ipsum simul Deum, & Hominem. Post suam Resurrectionem Corpus suum sensibile, & palpabile, & plagarum locum ostendebat, loquebatur, manducabat, & cum Discipulis suis habitabat, simul vero per portas clausas intrabat, iisdem Spiritum Sanctum, & Scripturarum intelligentiam tribuebat, duas in se Naturas distinctas, & unitas manifestans.

Eutyches, dum negat, Naturam nostram in Filio Dei esse, timeat, S. Joannis fulmen, dicentis: Omnis Spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus. Nam quid est Jesum solvere, nisi Naturam Humanam ab ipso separare? Error, circa Corporis Jesu Christi Naturam, Passionem Ejus, & Sanguinis efficaciam sequela necessaria destruit. Dum vero Eutyches vobis respondit: Confiteor Dominum Nostrum ante conjunctionem duas habuisse Naturas, sed post conjunctionem unam tantum Naturam agnosco, miror, quod horrendam Blasphemiam non castigaveris; cum nihilominus impium sit, dicere, Filium Dei ante In-

Hh 4 car-

Sæculum V.
A. C. 449.
Matt. 16. 16.

1. Joan. 4. 2.

c. 6.

Sæculum V. *carnationem utriusque Naturæ fuisse,*
 A. C. 449. *quam post Incarnationem in eodem unum*
tantum agnoscere. Non ommittas, Euty-
chem ad Retractationem hujus Errori
bortari. Si, Deo Gratiam dante, conver-
tatur; si sequatur Conversio, Hominem
indulgentissime habere poteris, nunquam
enim Fides utilius defenditur, quam ubi
Error ab ipsis suis Sæctoribus condemna-
tur. Hæc est celeberrima S. Leonis ad
Flavianum Epistola, ad id destinata, ut in
Concilio, tanquam de Fide Ecclesiæ Ro-
mana Testimonium, recitaretur.

§. XXXVI.

Alice S. Leonis Epistolæ.

Ep. 27. al. II. Sanctus Leo, ad Julianum, Episcopum
 Coanum, suum Constantinopoli Lega-
 tum, scribens, eandem Doctrinam expli-
 cat, ut haberet, quo veritatem contra Hæ-
 reticos defenderet, & se Flaviano junge-
 ret. Co, seu Coos, parva Insula est haud
 procul *Gnide*, quæ hodie *Lango*, seu *Stam-*
chio dicitur. In hac Epistola dicit Papa,
 Eutychem Catholicos Nestorianismi ac-
 culare, at vero ab Hæresi ejus, cum ve-
 ritatem Incarnationis negaret, Bona om-
 nia, quæ ex isto Mysterio sequuntur, &
 Christianorum Spem omnem tolli. Ergo
eredendum est, Verbum non esse mutatum
in Carnem, aut in animam, cum Divini-
tas immutabilis sit; rursus Carnem non
fuisse